

1783, 5 15

16

DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS
DE

RETRACTV EQVESTRI
CONTRA MANVS MORTVAS
NON PRAESCRIBIBILI

QVAM
CONSENTIENTE

ILLVSTRI IURISCONSVLTORVM ORDINE

PRO

LICENTIA

SVM MOS IN IVRE HONORES
RITE CAPESSENDI

D. IVL. CIOIOCCCLXXXIII

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVEMITTIT

AVCTOR

IOANNES WILHELMVS SCHICK

WETZLARIENSIS



GIESSAE

apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, Acad. Typogr.



Ms. 15



RETRACTVS EQUESTRI
CONTRA MANVS HOSTIAS
NON FRAUS

LIBER TITVS
SYMONE ET IURE ROTORIS
RUE CALSANDI

IOANNIS WILHELMVS
STOCK

19



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

I.

Ius retractus in genere quid sit.

II.

Ius retractus equestris in specie quid sit.

III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X.

Historia iuris retractus equestris.

XI.

Cui competat ius retractus: agnatis venditoris & cognatis.

XII.

Singulis membris circuli sub quo bona sita sunt.

XIII.


Reliquis circulis & toti Corpori Nobilitatis.

XIV.

Competit contra omnes, qui non sunt de consortio nobilitatis, contra Status imperii, contra Nobiles mediatos, & omnes exteros; praesertim contra manus mortuas.

A 2

XV.



XV.

Competit ratione bonorum equestrium in matricula comprehensorum.

XVI.

Competit erga oblatum vel depositum verum iustumque pretium: hoc quid sit.

XVII.

Exercetur in omnibus alienationis casibus, etiam permutatione, donatione, oppignoratione, vel testamento.

XVIII.

Sed in his casibus quid observandum?

XIX.

De actione ex iure retractus competente, qualis sit?

XX.

De praescriptione iuris retractus equestris.

XXI.


Manus mortua quid sit?

XXII.

Manus mortua iuri retractus nunquam praescribit: vi Priv. d. 1718.

XXIII.


Quid de alienationibus ante 1718. in manus mortuas factis sentiendum?



DE
IVRE RETRACTVS EQVESTRIS
CONTRA MANVS MORTVAS
NON PRAESCRIPTIBILI.

§. I.

Ius retractus a retrahendo ita dictum, in genere est potestas rem quandam ab alio alienatam pro eodem pretio intra tempus definitum sollemniter reuocandi: 1) multiplicia habet synonyma, dum vocatur: Der Einstandt, Lösung, Näherkauf, Abtrieb, Zugrecht, Kaufzugrecht, Vorkauf, Vorgelt, Nähergeltung. 2) Bespruch, Besprechung, Anstandt, Anstandsrecht, Beschüttung: 3) cumque sit ius rem iam alienatam a tertio reuocandi, merito distinguitur a *iure protimiseos*, vi cuius, si emtor futuro tempore rem emtam extraneo vendere velit, venditor cui libet re adhuc integra & traditione in extraneum nondum facta praeferri debet, si tantum soluere paratus est, quantum alius obtulit: 4) vti etiam a



pacto de retrouendendo, vi cuius venditori pretium restituenti rem venditam iterum redimere licet, 5) non minus a *reliuione pignoris*, in quo nimirum: sed tantum possessio in creditorem transfertur non dominium, qui contractus omnes ex iuris Romani principii debent diiudicari; sed, de quo hic sermo est, *retractus* est prorsus iuris *Germanici* in patriis se fundans Legibus atque ex iis diiudicandus. 6)

- 1) argumento Legis 14. Cod. de *contrah. emtione*.
- 2) PFEFFINGER in *Vitriario illustrato* Part. IV. Lib. III. T. 21.
- 3) KAPFF in *Diss. de iure retrahendi res mobiles*.
- 4) L. 75. ff. De *Contrahenda Emt.*
- 5) L. 2. Cod. De *Pactis inter emt. & vend.*
- 6) PLÜMKE in *Diss. de retractu nec iure Ciuili, nec Canonico, nec Feudali longobardico nec denique iure recentiori introducto*, Cap. II. §. 17. Marburg 1750.

§. II.

De omnibus aliis retractus iuris Germanici speciebus, quae in diuersis Patriae nostrae prouinciis, sub diuersis determinationibus diuersis fundamentis, vtpote iure agnationis & gentilitio, 7) testamentis aut conuentionibus, vel singularibus iuribus statutariis prouincialibus nituntur, 8) hic agere superfedeo. 9) Sed ad illud solum ius retractus respicio, quod *Nobilitati imperii immediatae*, ratione alienatorum bonorum equestrium, tam intuitu membrorum inter se, quam




quam etiam contra externos, & praesertim contra manus mortuas competit, quodque est ius per privilegia Caesarea, Nobilitati immediatae, singulisque eius membris concessum, vi cuius bona equestria in externos vel ad manus mortuas alienata erga oblationem veri & iusti pretii intra tempus privilegio definitum retrahendi gaudent facultate.

- 7) KNIPSCHILD De *Fideicommissis Familiarum illustrium*.
- 8) quorum varia recenset KAPFF C. I. §. 4.
- 9) in LIPENII *Bibliotheca iuridica reali* sub voce *retractus*.

§. III.

Animaduertit nimirum Nobilitas immediata multa bona equestria per alienationes, venditiones & permutationes ad alienas peruenisse manus, & sic e nexu Nobilitatis imperii immediatae esse abrepta; animaduertit non minus hac ex causa dissolutionem & ruinam totius corporis euitari non posse; praesertim cum pecunia ex venditis hoc modo bonis facile dilapidaretur, & sic se omnibus destitutam esse mediis, onera illa, sine quibus nulla subsistere potest communitas, & quae apud Nobilitatem multa & magna iam ante secula fuerunt, ferendi, hinc ne fero medicina pararetur, principiis huius mali obuenire debuit, atque omnibus extra Nobilitatem immediatam ad externos alienationibus limites ponere, quod eo magis fuit necessarium, quo frequentius Status imperii in terris



terris & provinciis suis Nobilitatem immediatam a suis subditis adquirere bona immobilia prohiberent.

§. IV. .

Initium hac de causa fecit *Nobilitas Sueuica*, dum in *ordinatione equestri* de 1560, quae anno 1561. a FERDINANDO I. & MAXIMILIANO II. Imperatoribus anno 1566. fuit confirmata, §. 30. sollenniter statueret, se extra Nobilitatem immediatam bona amplius in exteros alienare non velle, praesertim in eos, in quorum territoriis adquaestus bonorum immobilium, Nobilitati immediatae erat prohibitus. Praecipue notari merentur haec verba :

Dieweil uns ic. ic. haben wir uns dahin entschlossen, und verglichen, daß sich hinführo ein jeder, deme seine freye Ritterliche, und adliche Güter feil, so viel mit Fug, und guter Gelegenheit geschehen mag, gemeiner Rittertschaft zu Ehren, Wohlfarth befließen solle, solche wieder in des Adels Hände kommen zu lassen --- ---
--- --- . Insonderheit aber sich deswegen, mit niemand so uns in seinem Gebiet den freyen Güterkauf abgestreckt, sich käuflich einzulassen, es seye dann, daß uns entgegen eine Gleichheit gehalten; und sollichß abzustrecken aufgehoben werde. 10)

Idem statutum in conuentu *circulorum correspondentium* Eslingae anno 1590. & Spiraе anno 1609. II) sicut quoque alleg. §. 30. statuti de 1561. in der *Neuens pro*

❖ ❖ ❖ ❖ ❖

projectirten Ritterordnung de 1653. art. 21. de verbo ad verbum repetitus. 12)

- 10) BVRGERMEISTER in *Codice Diplom. equestri* P. II. p. 179.
11) WEBER in *Dissert. De retract. Nobil. imp. immediat. per priuileg. Caesar. concess.* §. 7.
12) BVRGERMEISTER l. c. Parte II. p. 195.

§. V.

Huius exemplum secuta *Nobilitas immediata Rhenensis & Wetterauica* anno 1605. a RVDOLPHO II. imperatore priuilegium obtinuit, a FERDINANDO II. anno 1626. a FERDINANDO III. 1654. & a LEOPOLDO 1666. confirmatum, in quo verba continentur: So setzen und wollen wir auch, wenn hinführo über kurz oder über lang von einem adlichen Mitglied am Rheinstrom, und in der Wetterau ein adlich Gutß einem hohen oder niederen Standts verkauft werden sollte, daß alsdann des Verkäufers nächste Verwandten, auch Agnaten, oder zufalle dieselben, solches zu thun nicht begehrt, solches einem andern Mitglied aus ihr der Ritterschaft, Abtritt und Einstandt zu thuen ohne allen männiglichs Eintrag und Verhinderung frey und bevorstehen sollen. &c. &c. 13)


Non minus *Nobilitas immediata Franconica* consequendo tali priuilegio inuigilabat, quod quoque anno 1609. a RVDOLPHO II. imperatore impetrauit, 14)

13) PFEFFINGER l. citato.

14) KNIPSCHILD *De Nob. Lib.* 3. C. 1. Num. 5.

B

§. VI.



§. VI.

Confirmata fuit ex post die Ritterordnung, de 1560, vt & concessa iam antea Nobilitati immediatae priuilegia, & per vltiorem concessionem FERDINANDI II. de 1624. magis extensa, & eo declarata, vt, quicumque vellet alienare praedium equestre -- Daselbe forderist seinen Freundten, und anderen von der Reichs-Ritterschaft anbieten, und denselben den Verkauf in gleichmäßig billigem Werth verstaten solle -- -- -- Zum Falle aber der Verkäufer diese Ordnung überschreiten, und mit einem höheren mittleren oder niederen Standes-Genossen, der unter der Ritterschaft Consortium und Gemeinschaft nicht begriffen, sich käuflich einlassen würde, so solle alsdann des Verkäufers Verwandten, und Agnaten (worinn die Praerogatiua gradus in Acht zu nehmen, wann sich mehr dann ein Löser oder Einländer angeben sollte) zum Falle dieselben solches zu thun nicht begehren, folgendes einem andern Mitglied aus der Ritterschaft Mittel, wann sich auch kein privat Mitglied angeben würde, dem allgemeinen Ritterlichen Corpori den Einstand und Abtrieb zu thun gebühren.

15) BVRGERMEISTER loco cit. pag. 282.

§. VII.

Adhuc latius extendebatur a FERDINANDO III. imperatore hoc priuilegium anno 1654, dum ad impediendas clandestinas alienationes, quae in prioribus priuilegiis nondum erant pro nullis declaratae, vltius

rius statuebatur, vt omnes & qualescunque venditiones, directorio, sub quo bona equeſtria ſita ſunt, denunciarentur, non facta vero hac denunciatione venditio pro nulla declararetur; annum vero intra quem retractus exerceri debuit, a die factae denunciationis computandum ita ſtatuit priuilegium, vt ſi quis terminum vnus anni nimis crederet anguſtum, ipſi liceret in foro competente quaerere prorogationem. 16)

16) IDEM l. c. pag. 286.


§. VIII.

Cum vero ad elidendum ius retractus, quod Nobilitati per haec priuilegia conceſſum erat, & in fraudem legis non raro ab ipſis Nobilitatis membris conditiones venditionibus adiicerentur, quarum implementum corpori Nobilitatis erat impoſſibile, multaque ſimulati contractus cum celatione veri pretii, permutationes, & oppignorationes aliique inirentur, de quibus prioribus in priuilegiis nulla facta fuerat mentio, & quae conditionem retrahentis duram admodum reddere poterant, quorſum etiam pertinebat aestimatio expenſarum, & meliorationum, quas retrahens reſtituere tenebatur & quae ſaepe ad aggrauandum ius retractus fiebant, & his iniuſtis moliminibus obueniri debuit, niſi priuilegia Nobilitati conceſſa plane forent inutilia.

Primo igitur illuc erat reſpiciendum, vt venditores talium bonorum ab his ſimulatis contractibus,

B 2

qui



qui ad elisionem iuris retractus tendebant, deterrentur: hinc in privilegio de 1688. cautum erat, vt omnis venditor verum emtorem verumque pretium, sub poena confiscationis pretii bey adlichen Ehren in vim iuramenti, directorio statim, cum venditionem denunciaret, patefaceret, idemque in omnibus aliis contractibus & conditionibus obseruaret, ad coercendos vero emtorum dolos, & vt hi a talibus contractibus incundis retinerentur, statuebatur, vt omnes conditiones & pacta, quae ius retrahentis difficiliter redderent, pro non adiectis essent reputanda; & cum terminus vnus anni nimis angustus crederetur qui in prioribus privilegiis retractui erat praefixus, praesertim quando tale praedium equestre pro non exiguo pretio erat venditum, quod tam breui temporis spatio comparari non semper poterat, etiam hic terminus a die denunciationis Directorio factae computandus ad tres annos extendebatur, imo vltior pro re nata termini extensio promittebatur, intra quem cuius e Nobilitate immediata ius suum exercere foret liberum, illi vero emtores talium praediorum, qui per meliorationes, ad quarum restitutionem retrahens vi iuris communis tenebatur, 17) quas saepe sine necessitate solummodo ad aggrauandum ius retrahentis fecerant, multosque sumtus impenderant, & hoc modo retractus ius elidere, atque se in possessione defendere posse credebant, per hoc quoque privilegium molimina sua videbant destructa, dum ipsis
erga



erga oblatum vel depositum pretium restitutio talis praedii equestris iniungebatur, illisque ad consequendas meliorationes factas via iuris, non retentionis boni retrahendi assignaretur: 18) per quas constitutiones privilegia, quae iam habuerat Nobilitas, multo sane reddita sunt pinguiora.

17) arg. L. 7. §. 16. Dig. *Soluto matrim.* arg. L. 1. & 2. ff. de *impens. in rem dot. falsis.*

18) BVKGERMEISTER 1. cit. pag. 288.

§. IX.

His in privilegiis, quamvis ad omnes casus respectum fuisse videretur, vidit tamen Nobilitas immediata vnam adhuc superesse viam, reliquis omnibus periculosiorem perniciosioremque corpori Nobilitatis, per quam bona e manibus equestrium ad exteros transirent sine spe, fore ut longissimo tempore iterum ad Nobiles reuenterentur. Vidit nempe vnum praedium equestre post aliud variis modis variisque sub titulis transire ad manus mortuas, e quibus, si semel ipsis fuerant acquisita, velut ex inferno nulla redemptio; aegre tulit Nobilitas subtracta sibi hoc modo bona innumera, non sine exiguo totius corporis detrimento, cum pretia talium praediorum in dies crescerent, sicque exteri suis sumptibus fierent locupletiores, totumque corpus suo tempore per hoc foret periturum; hinc Nobilitas immediata Rhenensis anno 1702. & Nobilitas Sueuica anno 1718. 19) extensionem privilegiorum suorum hunc

B 3

ad



ad finem impetrarunt, ne bona equeſtria nullo amplius modo ad manus mortuas alienarentur, ſi autem hoc fieret, praedia haec iuri retractus in perpetuum obnoxia vt declararentur.

19) BVRGERMEISTER l. cit. P. IV. p. 164. & 1064.

§. X.

Sufficiat preiſ haec historiae iuris retractus equeſtris delineatio. Videndum nobis iam eſt, ex memoratis priuilegiis quae iura & obligationes Nobilitati immediatae vel contra eam oriantur, quibus & contra quos competant, ratione quorum bonorum, quibus in caſibus, quibusque ſub determinationibus & limitationibus exerceri poſſint ac debeant. Prima igitur quaestio eſt ius retractus cui competat?

§. XI.

Imo proximis venditoris agnatis.

Cum caſus ſaepe euenire poſſet, vt plures adefſent, alienatum ad exteros Praedium Nobile qui vellent retrahere, praefertim quando aequo pretio fuerat venditum, neceſſarium ſane fuit, vt priuilegia, quae vim legis habent, certum ordinem ſtabilirent, quo illi, qui retrahendi iure gaudebant, ius ſuum exercere deberent; cumque Germani praecipue conſeruandis Familiis, earumque ſplendori inuigilarent, aequum viſum fuit Legislatoribus, in concedendo retractus iure praecipue ad obſeruantiam & mores Patriae reſpicere, qua ex cauſa agnatis & cognatis venditoris ius retractus, quod illis



illis ex certo quodam bonorum condominio compete-
bat, 20) non vt ita dicam de nouo attribuebant, sed
potius confirmabant. Omnia Nobilitatis immediatae
statuta, omnia priuilegia huc conspirant in der neupro-
jectirten Ritterordnung de 1653. constitutum est: Daß
wann ein adlich Mitglied seine adliche Güter zc. zc. hin-
wegzugeben vorhabens, daß er forderist dieselbe seinen Freun-
den, oder wann diese nit wollten andern freyadlichen Mit-
gliedern, oder dem Directorio anbieten solle vid. §. 4.
vt eo clarius hoc perspici possit, adduci merentur
verba priuilegii a RVDOLPHO II. anno 1609. con-
cessi, de quo §. 5. mentio facta: Wann hinführo über
kurz oder über lang von einem adlichen Mitglied in Fran-
ken ein adlich Guth einem hohen oder niederen Standt
verkauft werden sollte, daß alsdann des Verkäufers näch-
ste Agnaten oder Verwandten, oder zum Fall dieselbe
solches zu thun nicht begehreten, solches einem anderen
Mitglied aus ihr der Ritterschaft den Abtrieb und Ein-
standt zu thun frey und bevorstehen solle, id ipsum ex-
pressis verbis in priuilegio FERDINANDI II. de 1624.
continetur, vbi simul, ratione agnatorum ad praero-
gatiuam gradus, si plures vellent retrahere, attendi
debere statuebatur. vid. §. 6. Quodsi agnati in aequali
sint gradu, vel illi qui alterum praeuinit, vel forti
locum dandum esse credit KNIPSCHILD, 21) imo &
cognatis, aliisque collateralibus, foeminis & filiabus
quae renunciarunt, denegandum non est ius retractus,
cum non solum in conseruatione familiarum, sed
etiam



etiam vt bona equeſtria in corpore Nobilitatis permanant, ratio iuris retractus quaerenda ſit: 22) nec minus filio, cuius pater emtori declarauit ſe iure retractus vti non velle, competit, cum non vt filius, ſed vt membrum Nobilitatis, & ita vt perſona propria conſideretur, heresque non teneatur factum defuncti praeflare, ſi non veniat vt heres, ſed vt perſona propria; 23) imo extranei quoque heredes hoc iure gaudent, iure ſuo ſe vti velle intra tempus legitimum coram Directorio defunctus ſi declarauerit. 24)

20) SELCHOW in *Elem. iuris priu. germ.* §. 551. & 591. ibique alleg.

DIET. HERM. KEMMERICH, de *inſtitutis germ. ad conſeruati-
nem familiae ſpellantibus.*

Ius Prouinciale Saxonicum Lib. I. art. 52. ohne der Erben Laub und ohne Gerichte mag kein Mann ſein eigen Gutß vergeben, alle fahrende Haab gibe aber der Mann wohl ohne Laub der Erben.

*Ius Prou. Alemannicum, in corpore iuris germ. Senkenbergia-
no* T. II. pag. 365. Geit einer ſein eigen wieder ſeiner Erben Willen hin, und ohne des Boigts Ding, ſie ſollen vor den Richter fahren, und ſollen es verſprechen, und der Richter ſoll es da antwortten denen Erben.

21) De Nobilitate Lib. III. Cap. 9. Num. 46.

22) CRAMERI Nebenſtunden Parte 85. pag. 79.

23) SPEIDEL voce: heres & Auth. ibi allug.

24) KNIPSCHILD I. c. Num. 57.

§. XII.



§. XII.

Quodsi agnatorum nulli reperiantur, qui aut vel-
 sent, aut possent retrahere, ad ius retractus priuilegia
 vocant singula Nobilitatis immediatae membra, ad il-
 lum circulum sub quo bona sita sunt pertinentia, al-
 legatae ordinationes equestres §. 4. & priuilegia §phis
 5. & 6. hoc claris verbis cum pronuncient, & circa
 hoc nullum sit dubium, probatione hanc firmare pro-
 positionem nequaquam credo necessarium, vti etiam
 ius Directorii, sub quo bona sita sunt, extra omnem
 positum est controuersiam.

2do sin-
 gulis
 Nobili-
 tatis im-
 mediatae
 membris
 illius
 circuli,
 sub quo
 bona sita
 sunt.
 3tio Di-
 rectorio
 sub quo
 bona sita
 sunt.

§. XIII.

Verum pluribus exposita dubiis videtur ea quae-
 stio, an quoque membrum alterius circuli bona in
 alio circulo, ad quem non pertinet, possit retrahere,
 v. g. an membrum Nobilitatis Franconicae ratione bo-
 norum sub Directorio Nobilitatis Suenicae sitorum iu-
 ris retractus sit particeps? Sunt, qui negatiuam ad-
 optarunt sententiam, inter quos WEBERVS 25) &
 KNIPSCHILD 26) quamuis WEBERVS dubiam mul-
 tisque difficultatibus obnoxiam quaestionem ipse fateat-
 tur, 27) atque ex praxi decidendam; verum tamen,
 cum omnia priuilegia singulis circulis & corporibus
 Nobilitatis singularibus concessa in eo conueniant, vt
 eueniente casu, quo membrum singulare nollet retra-
 here, communi Nobilitatis corpori ius retractus vin-
 dicetur, & vniuersa Nobilitas, quamuis plures diui-

4to to-
 ti corpo-
 ri e-
 questri,
 & omni-
 bus eius
 membris
 singula-
 rim.

C

fa





fa in circulos vnum corpus constituat, & in eo quoque intuitu Nobilitatis Franconicae & Rhenensis iam Recessus Spirensis de 1609. quam priuilegia de 1688. & 1702. cum priuilegiis Nobilitati Sueuicae concessis de 1624. & 1652. concordent, quod communi Nobilitatis Corpori (dem gemeinen Ritterlichen Corpori) ius retractus competat, cumque aliud priuilegium ab alio velut lex a lege explicationem recipiat, eorum mihi potius arridet sententia, qui singulis quoque communis huius corporis membris hoc ius vindicandum esse existimant, nullo respectu habito, an ad illum circulum, sub quo bona sita sunt, pertineant, siue non; quam sententiam communi Doctorum opinioni conuenire WALCHIVS 28) praxi vero iudiciorum imperii conformem esse testantur LVDOLFIVS 29) & CRAMERVS 30) quae etiam obseruantiae circulatorum, vi cuius quiuis circulus quotannis ad reliquos circulos designationem alienatorum vel alienandorum praediorum mittit, vt ius suum possint exercere, vt & rationi legis, vtpote quae in conseruando Nobilitatis Corpore suum habet fundamentum optime conformem esse nemo est, qui possit dubitare.

25) in *Dissert. de retractu* §. 10.

26) cit. loco Lib. III. Cap. 9. Num. 8.

27) WEBER eodem loco & §pho in fine.

28) in *Tract. vom Väterrecht* Lib. II. Cap. 2. Sect. 1. §. 3.

29) in

29) in *Symphor. Consult. & Decis. forens.* Tom. I. pag. 373.
 30) in den *Nebensunden* Part. 85. pag. 79.

§. XIV.

Enumeratis iis, quibus liceat ius retractus equestris exercere, eorum quoque fieri debet mentio, contra quos locum habeat; generaliter privilegia contra omnes eos qui non sunt in consortio Nobilitatis (die unter der Ritterschaft Consortio nicht begriffen) ius retractus obtinere statuunt, hinc iam in der Ritterordnung de 1560. convenit Nobilitas articulo 30. Daß sich hinführo ein jeder, dem seine ritterliche und adliche freye Güter sail --- --- --- gemeiner Ritterschaft zu Ehren und Wohlfahrt besessen, dieselbe wieder in des Adels Hände kommen zu lassen. Idem statuit art. 21. Der Neuprojectirten Ritterordnung de 1653, cum quibus concordat privilegium de 1624, vbi: Zum Fall aber der Verkäufer diese Ordnung (de 1560.) überschreiben, und mit einem höheren mittleren oder niederen Standsgenossen, der unter der Ritterschaft Consortium und Gemeinschaft nicht begriffen, sich käuflich einlassen würde, daß alsdann x. x. vid. §. 6. & quoque verba privilegii de 1654: Benebens wann hinführo über kurz oder über lang von einem adlichen Mitgliede in Schwaben ein adlich Gut einem hohen oder niederen Standt verkauft wird, daß der K.K. vid. §. 7. quae omnia si confiderentur, imo & contra Status Imperii, qui unter den höheren Standsgenossen comprehenduntur, 31) contra Nobilitat.



Status imperii contra Nobiles sub Nob. immed. non comprehensos, qui die mittlere Standegenossen constituunt, & omnes exterios, qui neque Status, neque Nobiles sunt, vulgo die niedere Standegenossen, & ita quoque contra manus mortuas, Monasteria scilicet aliaque pia corpora ius retractus exerceri posse, nemo non videt. 32)

31) Privilegium Rhenense & Wetteraicum de 1605. & 1609. Ordinat. Rhenens. P. I. Tit. 14.

32) Privilegium Alsfaticum de 1614.

Contra omnes exterios.

§. XV.

Quenam bona re-obnoxia? Retractus iuri obnoxia sunt omnia illa bona eque-
fria immobilia, quae Nobilitati semel immatriculata &
tractui incorporata sunt, & de quibus ad cassam equestrem
obnoxia? contributiones solvere debent eorum possessores. 33)

Ex quo sponte fluit, bona illa equefria, quae sub
matricula non continentur, quamvis a Nobilibus im-
mediatis possideantur, si alienentur, retractus iuri non
amplius subesse; sicut quoque extra omne dubium
positum est, ea bona, quae quondam quidem ad ma-
triculam equestrem pertinere, sed expost alienata
erga aliud aequivalens, a nexu equestri plane liberata
sunt, sicque qualitatem praedii equestris amiserunt,
amplius retrahi nequaquam posse. Sunt quidem, qui
credunt, omnia bona semel ad exterios alienata, si ite-
rum vendantur, retractui non amplius subiacere, eo
quod in privilegiis contineatur clausula: Wann ein
adlich

non No-
biles.

adlich Mitglied seine Güter, &c. &c. sicque si exteri tale bonum velint vendere, cessare retractum; inter quos HARPRECHT 34) ita respondit: Wann aber eine solche Alienation auf einen so kein Mitglied der Ritterschaft ist, einmal geschehen, so ist dergleichen Guth quoad alios effectus kein ritterschaftlich Guth mehr, und daher auch dem iuri retractus huius privilegiarii nicht mehr unterworfen; verum, cum statuta equestria & concessa privilegia principaliter eo respiciant, vt bona in catastro equestri comprehensa, in corpore Nobilitatis immediatae permanent, hocque respectu singulis Nobilitatis immediatae membris ius retractus sit attributum, merito eorum opinionem veriore & legi conformiorem existimauerim, qui ad omnia bona equestria, nullo, in quorum manibus sint, siue a quo alienentur, respectu habito, modo in matricula equestri contineantur, ius retractus extendi contendunt; praesertim, cum bona, quae semel ad matriculam equestrem pertinent, per alienationem ad exteros factam, qualitatem bonorum equestrium nequaquam amittant, ipsaque statuta equestria de 1560. art. 21. & de 1653. art. 50. haec praedia contributionibus ad matriculam equestrem soluendis nihilominus obligata esse vendicent, quam quoque sententiam LVDOLFF 35) in decidenda causa v. Elz contra Sieberg pro regula statuit, quod bona catastro immediatorum Imperii comprehensa, vendita emtaque a tertio, retractui sint obnoxia per privilegia Caesarea, cuiusque ex Nobili-



lium corpore reluere placuerit, qui vir si de praxi, praesertim Camerae imperialis sermo sit, pro teste omni exceptione maiore sine dubio debet reputari.

33) Privileg. Nob. Sueuicae de 1624. & 1652. Privileg. Nobil. Rhenens. & Wetterau. de 1626. 1652. & 1666.

KNIPSCHILD de Nobil. Lib. III. Cap. 9, N. 15.

34) in *Consil. Tubing.* Consil. 83. N. 470.


35) in *Symph. Consult. & Decis. forensium* P. I. Consult. II.

§. XVI.

Modus, quo debet exerceri hoc ius retractus, in eo consistit, ut is qui retractus iure uti desiderat, verum iustumque pretium emtori restituere paratus sit; pretium vero iustum & verum illud ipsis in Privilegiis determinatur, quod emtor ipse pro re retrahenda soluit. Sunt quidem qui opinantur, non pretium, quod emtor soluit, sed illud pro vero & iusto aspiciendum esse, quod tempore exercendi retractus tale bonum valere potest, cum saepius talia bona pro vili pretio imo infra pretium (unter dem wahren Werth) alienentur. Verum cum retrahens & enormissimum quoque pretium, si bey adlichen Ehren und Treuen) Directorio, sub quo bona sita sunt denunciatum sit, utique solvere obligatus sit, iura partium aequalia esse debere non immerito putaverim, si emtor tale praedium infra pretium adquisierit; praesertim cum hoc modo emtor iam satis lucratus sit, dum omnia emolumenta & utilitates ex tali praedio



dio perceperit, quas reluenti nequaquam restituere tenetur, si caeteris paribus iuxta praescriptionem privilegiorum, facta nimirum denunciatione, alienatio commissa sit; dumque hoc modo pro exigua forte sufficientes vfuras perceperit, fructusque ex tali praedio percepti cum impensis non immerito compensentur; ad eas autem conditiones alienationis contractui adiectas implendas, non tenetur reluens, quorum implementum ipsi impossibile, vel saltem ius retractus valde grauens est. vid. §. 8., vti quoque retrahens meliorationes & impensas in rem retrahendam factas haud necessarias non restituit. Ne sine lege me locutum fuisse quis possit arguere, non inutile censeo ipsa huc privilegia allegasse. Pretium iustum & verum quod attinet, haec loca ex ipsis privilegiis excerpta, pro eo, quod superius deduxi, testantur; in privilegio de 1624. Nobilitati Sueticae concessio cautum est: Wann ein adlich Mitglied seine adliche Güter zc. zc. käuflich hinzugeben vorhabens, daß er forderist dieselbige seinen Freunden, und wann diese nit wollten, anderen von der Ritterschaft anbieten, und demselben den Vorkauf in gleichmäsig billigem Werth verstaten solle, & in Privilegio LEOPOLDINO de 1688. vbi ita: Als haben wir aus Kayserlichen hohen Macht zc. zc. derz gestalt allergnädigst extendirt, daß bis zu vollkommener Verflischung derer 3. Jahren die Ritterschaft oder deren jedes Mitglied vollen Gewalt, und erlangtes Recht haben solle, mit Auszahlung und Deponirung des baaren Kaufs



Kauffchillings die Auslösung zu thun. Et in eodem Privilegio iubetur: Daß jedes Mitglied bey beschehen dem Verkauf einigens dem Ritter, Corpori quomodocunque afficirten Guths oder Gefälls, es seye wenig oder viel bey Confiscation des Kauffchillings verbunden seyn solle, solchen Verkauf, den verum emtorem, und das klare pretium, bey adlichen Ehren an Eidesstatt dem Directorio worunter das Guth oder fail geschlagene Gefäll statuiert in Zeiten anzuzeigen. Idem statutum in Privilegio Rhenensi de 1702. contra manus mortuas: Daß bis zu vollkommener Verfließung der drey Jahren die Ritterschaft, oder deren jedes Mitglied vollen Gewalt haben solle, mit Auszahlung und Deponirung des baaren Kauffchillings die Auslösung zu thun; & porro: Daß jedes Mitglied 2c. 2c. das klare Pretium bey adlichen Ehren an Eidesstatt 2c. 2c. anzeigen solle. Quod corroboratum adhuc magis est per privilegium CAROLINVM de anno 1718. his verbis: So haben wir allergnädigst erlaubet, erlauben es auch hiermit, daß sie Reichs, Ritterschaft in Schwaben alle von den adlichen mann, und weiblichen Geschlechts in Klöster und Stiftern quocunque tempore & titulo einbringende Güter gegen Erlegung des iusti Pretii an sich zu lösen befugt seyn sollen. Ex quibus omnibus apparet, si emtor reluenti erga oblationem veri iustique pretii restituere bonum retrahendum recuset, solam sufficere huius pretii depositionem.

§. XVII.

§. XVII.

Exerceri potest regulariter hoc ius retractus omnibus in casibus, quando tale praedium in ter-
 titium emtorem sub Nobilitate non comprehensum alie- in cas-
 natur, cumque priuilegia non distinguant per quas bus ex-
 vias, quasque alienationum species bona e manibus ercen-
 Nobilium ad exteros perueniant, nec nostrum esse dum?
 cenfeo distinguere, an per venditionem, per permuta-
 tionem, per donationem, testamentum, oppignoratio-
 nem hoc factum sit: quibus in casibus iure Romano
 quidem cessare retractum nullum dubium est, quod
 vero in negotiis iuris Germanici, quale est retractus
 equestris nequaquam potest applicari, 36) cum Nobi-
 litas immediata in legibus Germanicis nimirum in
 priuilegiis Caesareis, fundamentum iuris sui reperiatur.

36) WALCH in tractatu vom Nâherrecht 2tes Buch 2. Haupts-
 stück 2ter Abschnitt ibique alleg.

§. XVIII.

Sed in quatuor praememoratis casibus donationis Quo-
 nimirum, permutationis, testamenti vel oppignoratio- do in ca-
 nis antichreticae reluentem creditori pignoratitio vel su donat.
 donatario vel heredi, iustum pretium vel id quod permut.
 interest refundere debere nemo est, qui dubitet, oppig-
 & in his casibus si reluens cum illo, a quo vult vel te-
 redimere alienatum tale praedium, super pretio conue- stam, fiat
 nire nequaquam potest, illud a iudice determinandum reluitio.

37) pro quo ille, in qualem tali modo alienatio extra

D

con-



confortium equestre facta est, illi qui ius retrahendi exercet, obligatus est ad praedium equestre extradendum, fructus vero, quos eiusmodi bonae fidei Possessor interim percepit, cum impensis necessariis & vtilibus merito compensandi. 38)

37) KNIPSCHILD De Nobil. Lib. 3. Cap. 9. Num. 156.

38) HARPPRECHT Responso V. Num. 105.

§. XIX.

Quae-
nam in-
de actio
nasca-
tur.

His praemissis cum nullum amplius dubium super-
fit, quis, contra quem, & quae bona retrahi possint,
fermo nobis erit de remediis contra illum adhibendis,
qui praedium tale retractui obnoxium erga oblatum
vel depositum pretium restituere recusat, quaque ad-
uersus illum actio fit experiendum. Cum actoris
intentio praesertim in privilegio & statuto seu lege se
fundet, conditionem ex lege, seu statuto seu privilegio
locum habere nullus dubito. 39) Est itaque actio com-
petens illi, qui retrahendi gaudet facultate, aduersus
illum, qui erga oblatum vel depositum pretium resti-
tuere recusat praedium equestre, ad illud cum omni
causa erga receptum pretium restituendum. Datur
haec actio contra quemvis Possessorem, cum ius retractus
quaevis praedia velut ius quoddam reale afficiat, nec
cessat, licet Possessor contra quem instituta haec actio de-
fierit possidere, nam personalis quidem est, sed tamen
in rem scripta. 40) Quin etiam mandata sine clausu-
la, 41) citationes ad videndum se incidisse in poenam
priui-



privilegio insertam 42) & ordinationes 43) a iudicis imperii decerni contra illos, qui contra praescriptionem privilegiorum alienationes in exteros, in specie potentiores, committunt, testatur MADERVS in Selectis equestribus.

- 39) LAVTERBACH in Colleg. Theor. Pract. Tit. De Constit. Princ. §. 48.
KNIPSCHILD De Nob. Lib. I. Cap. 9. Num. 44.
40) HARPPRECHT Responso 95. Num. 91.
41) MADER citato loco dritter Band drittes Cap. 1ster Abschnitt §. 4.
42) idem im zweyten Band 3ten Cap. 1ster Abschnitt dritten Band 3ten Cap. 1. Abschnitt §. 50. quod & factum in causa Westernach contra Roth Cit. das ius retract. herr. BVGERMEISTER l. c. P. III. pag. 1010.
43) idem l. cit. im dritten Band dritten Cap. 1ster Abschnitt §. 8.

§. XX.

Cum ius retractus intra tempus lege definitum exerceri debeat, vid. §. 2. consequens est, vt lapsu temporis lege definiti expiret; & primo quidem non ultra annum concedebatur haec actio, cum statueret, vt Nobiles immediatus praedium equestre si alienaret, Nobilitati per annum a die patefacti tractus liceret reluere, his verbis: Und solle daneben forderist den nechsten Befreundten, und nach denselben nem freyadlichen Mitglied oder auch dem ganzen Ritter Corpori das ius retractus oder die Auslösung solcher Gü-

Finitur & praescribitur Nobilitas ius retractus intra triennium, contra manus mortuas nunquam.



ter auf ein Jahr lang Inhalt Privilegii von Zeit des öffentlichen den Directoren, Rätthen und Ausschüssen bezant gemachten Kaufs anzurechnen, gebühren, und gestattet werden. 43) Quae ordinatio equestris ad privilegium de 1652. a FERDINANDO III. Nobilitati concessum respexit, quod iuri retractus annum praefixerat a die factae denunciationis computandum. vid. §. 6. & 7. Per privilegium denique LEOPOLDINVM de 1688. hic terminus vnus anni ad tres annos extendebatur: Als haben wir aus Kayserlichen hohen Macht, mit rechtem Wissen, und seinen sonderlich uns hiezu bewegenden Ursachen Kraft dieses unsers Majestäts-Briefs ihro unserer Reichs-Ritterschaft ersilich den terminum retrahendi a die denunciationis directorio factae computando auf drey Jahr lang dergestalt allergnädigst extendirt. x. x. 44)

Quod triennium itaque terminus est, intra quem haec actio debet institui, secus erit praescripta; nisi ille, in quem alienatio facta est, sit manus mortua, quae nullo vnquam tempore huic iuri praescribere potest.

43) BVYRGERMEISTER loco citato P. II. p. 156.

44) idem l. c. P. II. pag. 288.

§. XXI.

Comprehenduntur vero sub voce *manus mortua* corpora ecclesiastica, fundationes, ecclesiae & monasteria, de quibus constat, quod bona, quae semel in illorum manus cecidere, semel pro semper e nexu vitae civilis abrepta inde nunquam iterum reuertantur,



tur, sed, sicut eorum Possessores, intuitu reipublicae & status ciuilititer mortua sint. Hoc quale detrimentum reipublicae, quale damnum corpori Nobilitatis (quorum bona praecipue earum mouent appetitum, eo quod non tantis grauata oneribus sint, uti mediata, quorumque, licet satis locupletes, sunt auidissimae) afferat, iam ante secula Nobilitati ipsi innotuit, atque super remediis cogitari coeptum est, utgula illarum & auiditas insatiabilis compefceretur. De singulis iuribus statutariis Germanicis, quibus alienatio ad haec corpora & collegia prohibita est, differere non permittit instituti mei ratio, sed potissimum mihi sermo est, de alienatione praediorum equestrium ad manus mortuas per priuilegia Caesarea prohibita, iureque retractus in hoc casu Nobilitati immediatae in perpetuum concessio.

§. XXII.

Pro norma & lege nobis hac in materia est Priuilegium a CAROLO VIto imperatore anno 1718. Nobilitati immediatae concessum, vi cuius non solum alienatio ad manus mortuas prohibetur, & casu quo praedia ad illas alienata, ea in perpetuum retractui obnoxia declarantur, his expressis verbis: So viel aber das zweyte allerunterhängste Petikum anbelangt, daß die Rittergüther, und iura nicht ad manus mortuas alienirt werden, und solchenfalls die Restitution gegen Erlegung des iusti pretii erlaubt seyn solle;

D 3

So



So haben wir allergnädigst erlaubet, erlauben es auch hiez mit, daß sie Reichs-Ritterschaft in Schwaben, alle von den Adlichen mann- und weiblichen Geschlechts quocunque tempore & titulo einbringende Güter gegen Erlegung des iusti pretii an sich zu lösen befugt seyn sollen, quod privilegium poena ducentarum marcarum auri puri munitum est, 45) per quod extra omnem positum est controuersiam, ius nobilitati imperii immediatae iam vigore priuilegii LEOPOLDINI de 1688. competens, non ut ita dicam munitum magis, sed potius eo extensum esse, ut ipsi praedia equestria ad ecclesias, pia corpora & monasteria alienata in perpetuum reluendi libertas concessa sit, cum verba quocunque tempore & titulo omnem sane praescriptionem excludant. De bonis equestribus itaque post annum 1718. ad manus mortuas alienatis puncto iuris retractus nulla amplius quaestio superest, cum nequidem immemorialis praescriptio talem emptorem securum reddere possit, praescriptione in iure Romano fundata in negotiis iuris Germanici nihil ponderis habente; accedit quod notissimi iuris fit, atque etiam magis in Germania recepta sententia, in eo casu si iuri retractus per pactum reseruato nullus terminus, intra quem fieri debeat, praescriptus est, praescriptionem omnino locum non habere 46) quam eandem sane rationem esse arbitror in retractu perpetuo per expressam legem siue priuilegia stabilito.

45) BVRGERMEISTER l. cit. Part. IV. pag. 1067.

46) GAIL lib. I. obs. 18.

LAUTERBACH in Colleg. Theor. Pract. Lib. XVIII. Tit. I. §. 101.

STRYK in V. M. ff. eodem Tit. §. 44. ibique allegati.

§. XXIII.

Quid iuris illorum bonorum intuitu, quae iam ante priuilegium de 1718. concessum ad manus mortuas alienata sunt?

Supereff adhuc vna quaestibus coronidis loco decidenda de illis bonis equestribus quid sentiendum, quae iam ante annum 1718. in manus mortuas ceciderunt? Innotescit iam ex §phis VIII.



VIII. XX. & per priuilegium LEOPOLDI Imperatoris de 1688. ius retractus ad tres annos esse extensum, hinc in substrato casu non immerito distinguendum esse puto, inter ea bona quorum triennium seu terminus reluendi anno 1718. iam effluxerat, & illa praedia equestria currente quorum termino reluendi priuilegium de 1718. concessum est; v. gr. quae anno 1716. aut 1717. ad manus mortuas fuere alienata. Priori casu liquet & etiam sana ratio & aequitas pro emtore loquitur, tale praedium retractui non amplius esse obnoxium, cum elapso triennio per priuilegium de 1688. praefixo contractus plane sit perfectus, indeque emtor nactus sit ius quacsitum, quod ipsi legislator exposit concedens priuilegium absque iniuria nequit adimere, 47) legesque & constitutiones futuris dent quidem formam negotiis, non autem ad facta praeterita reuocentur. 48)

Verum secundum casum quod concernit, omnes hae rationes nequaquam possunt applicari, non enim hic de facto vel contractu praeterito, sed potius de praesente adhuc negotio sermo est; nam sane nondum consummata est emtio venditio, quae facta est sub lege retractus intra triennium exercendi ante lapsum huius termini, hinc argumentum legis 7. Codicis eo minus in hoc casu aliquid momenti affert, quod certius est, priuilegium de 1718. praecipue respicere ad terminum reluendi, eiusque prorogationem, si nondum elapsus erat, imperatorem potuisse concedere. Thesis haec probatione vix indiget, nam primo cuius iudici, multo magis ergo summo Legislatore, licitum est prolongare terminum modo nondum plane effluxerit, 49) & secundo ipsis in priuilegiis anterioribus praesertim de 1652. illis, quibus terminus vnus anni angustus nimis videbatur, extensionem vltiorem pro re nata promiserat ac sibi reseruauit imperator his verbis: *Hätte sich aber einer oder der ander wegen Enge der Zeit zu beschweren, siehe ihm solches gehörs*



gehöriger Orten zu suchen bevor, wie abgemeldet von allerwärts
niglich ohnverhindert, 50)

Ex quo fluit, non laedere ius tertii Legislatorem, si in negotio
nondum perfecte consummato terminum nondum elapsum ad
preces supplicantis ulterius proroget, quae interpretatio contra
manus mortuas tanto aequior, quanto perniciosior rei publicae
alienatio in illas facta, & quo antiquior lex, quae illas ab
acquaeſtu talium bonorum equeſtrium remouebat. Ordinationes
equeſtres de 1560. & 1653. claris hoc iam verbis pronun-
ciauerant addita ſimul ratione legis: Es ſoll ſich keiner mit je-
manden ſo uns in ſeinem Gebiet den freyen Güterkauf abge-
ſtreckt, käuflich einlaſſen, vid. §. IV. Quid clarius his verbis? nemi-
nem ſane latet, monaſteria & manus mortuas bona ſemel ad-
quiſita, non amplius vendere & ita in illas argumentum hu-
ius legis ſtatutarii optime quadrare. Hoc eſt, quod ego hac de
re ſentio, hae meae de retractu alienatorum hoc modo praed-
iorum equeſtrium cogitationes, hae meae rationes, quas credo
legibus earumque analogiae conformes, quibuscum paruo ope-
peri impono

F I N E M

- 47) L. 6. Cod. ſi contra ius vel vtilitatem LAVTERBACH in Coll.
Theor. Practic. Lib. 1. tit. 4. §. 12.
48) L. 7. Cod. de Legibus.
49) CARPZOV P. I. Conſt. 16. Deff. 15.
50) BVRGERMEISTER l. c. Parte 2. pag. 287.




Gießen, Diss., 1781-92



V D 18







1783, 5 15

NO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
CTV EQVESTRI
MANVS MORTVAS
ON PRAESCRIBILI

QVAM
CONSENTIENTE
RISCONSULTORVM ORDINE
PRO
CENTIA
IN IVRE HONORES
E CAPESSENDI

IVL. CIOIOCLXXXIII
RVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTIT

AVCTOR
WILHELMVS SCHICK
WETZLARIENSIS



GIESSAE
IACOBVM BRAVN, Acad. Typogr.

